Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Et congregauit triticum in horreum suum paleas autem conburet igni inextinguibili.
Et ipse dominus parabolam boni seminis cui superseminauit inimicus homo zizania; ita terminauit
ut diceret. Et in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania et alligate ea
fasciculos ad conburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Nimirum docens
impios et peccatores gehennae igni tradendos. sanctos uero caelesti gloria coronandos.
Uerum hoc inter paleas et zizania distat. quia paleae non alio quam triticum semine prodeunt.
quamuis a medicis boni nobilitate degenerent. Zizania autem non fructus solummerito
discrepant. sed et diuersa prorsus origine procreantur. quod paleae sunt illi qui eiusdem cum elec
tis fidei mysteriis inbuuntur. sed ab eorum solida perfectione uel operum leuitate uel perfidiae
uacuitate dissentiunt. Zizania uero qui nec audire quidem fidei uerba dignantur. Ideoque
a bonorum sorte et opere simul et professione secernuntur. Et tamen agro mundi istius unus
electorum et duo sunt fructus reproborum. quia et omnia quae inimicus seminat flammis ob
noxia sunt. et quod est grauius plurima ex his quae bonus pastor iacit. aut a uolatilibus rapta
aut sole arefacta aut spinis suffocata aut certe in paleas uersa depereunt. solum autem de terra bona
creatum et patientia digna probatum triticum electorum caelestis uitae reconditur in horreum.
quomodo iuxta aliam parabolam. non solum pisces qui apostolicae fidei retia declinant imis
peccatorum obscuri resident inundis. Uerum multi ad litus usque discretionis extremae
inter bonos adtracti. tunc ob suae nequitiae obnoxam exteriores mitti merentur in tenebras.
Ignem autem gehennae bifaria ratione inextinguibilem uocat. id est quia neque ille perpetuo possit
extingui. neque eos quos cruciat umquam extincturus. sed inmortali ut ita dixerim sit morte plec
turus ad distinctionem uidelicet illius sanctissimi ignis quo electos christi baptizandos esse promi
serat. De quo et psalmista. Igne nos examinasti sicut igne examinatur argentum.
Et paulo post. non hesimus in aeternum. sed transiuimus inquit per ignem et aquam et induxisti nos
in refrigerium. Introibo in domum tuam in holocaustum. id est deuictis pressurarum angoribus
in gratiarum actione regni tui caelestis atria penetrabo. X

t xii / II / m cxliiii / m lviiii
Herodes autem tetracha cum corriperetur ab illo de herodiade uxo
re fratris sui et de omnibus malis quae fecit herodes adiecit et hoc
supra omnia et inclusit iohannem in carcere.
Plenius haec a matheo commemorantur et marco. iohannem uidelicet herodiadis insidiis
non modo uinculatum sed etiam capite cesum; quod non his diebus sed iuxta euangelium iohannis
post aliquod a domino signa patrata eiusque iam baptisma diffamatum sciendum est esse gestum.
D. Uerum ab hoc euangelista propter exaggerandam herodis malitiam praeoccupandam commemoratum.
p. Qui cum ad praedicationem iohannis imperitum uulgus confluere et milites crederent. publicani pe
me nniterent. totus in commune populus baptisma susciperet. ipse econtrario illum non
nome solum contemnere. sed et occidere non dubitauit; allegoricae autem ratione mysterii. quia